



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Sagittariis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

De Sagittariis.

T I T. XVI.

Sagittariorum & ballistariorum arte adversus Christianos, sub pœna anathematis, uti non licet; *c. un. hic.* puta in bello injusto, *arg. c. sicut si constiterit. 3. de jurejur.* omnino in justo. *c. Dominus. 23. qu. 2.*

De Adulteriis.

T I T. XVII.

Adulterium generaliter dicitur, omnis conjunctio, quæ potestatem aut naturam legitimi conjugii non habet: *c. nemo blandiatur. 4. nec hoc. 32. qu. 3. c. idololatria. 28. qu. 1.* propriè tamen diversæ sunt fornicationis seu illicitæ conjunctionis species, *Adulterium, Stuprum, Incestus, Raptus, Fornicatio simplex, Luxuria contra naturam.*

Adulterium, est violatio alterius tori. Commixtio cum conjugato vel conjugata. *c. adulterium. 36. qu. 1.* Unde adulterium dicitur, quasi ad alterius torum accessio. *c. cum lex. §. adulterium. 36. qu. 1.*

Committitur; hoc jure (non Civili, *l. 1. C. hic.*), etiam in solutam mulierem, à conjugato. *c. 19. Et c. fin. 31. qu. 5.* cum eadem in marito, quæ in uxore, castimonia requiratur. *c. nemo blandiatur. 32. qu. 4. c. apud nos. 32. qu. 5.*

Sed hoc ita, si præter actum tori, sive sui, sive alieni, violandi, & consensus & scientia alieni tori adfuerit. Non enim hoc crimen sine dolo malo committitur; nec etiam è voluntate, sed ab actu intelligitur. *l. pen. l. miles. l. 23. l. 25. ff. hic.*

Unde ea quæ nupsit cum eo quem ignorabat habere uxorem, adultera quoad primum non est; nisi postquam id ipsum sciverit, cum eo concumbat: *c. si virgo nupsit. 32. qu. 2.*